

frēm & dilectos etiam ecclesie filios, procuratores nuncios dictae synodi ex una, & procuratores oratores clarissimorum dictae ecclesie filiorum, Castellae, Aragonum & Navarrae regum illustrisimum, & dilectorum ecclesie filiorum Fuxi & Armeniaci comitum partibus ex altera concordatis, quod incipit: Secundo, quod dictae conuocationes fiendae &c. Volens in omnibus obseruare dictum capitulum, promittit, ratum habet, securat, & specialiter confirmat, ac nouiter firmat, ac statuit, & decernit in omnibus & per omnia, prout in dicto capitulo continetur. Viso etiam quarto capitulo dictorum capitulorum, quod incipit: Quarto, quod per dictum uniuersum concilium &c. abolet, tollit, annullat eadem sancta synodus quoscuq; processus, sententias, ordinationes, statuta & poenas, ut in dicto capitulo quarto supra descripto continetur, usq; ibi, Et quod statuatur &c.

Item statuit eadem sancta synodus, quod nunquam de caetero ratione uel occasione dicti schismatis aut adhesionis dicti domini Benedicti, & sui praedecessoris domini Clementis, possit contra dictos reges, principes & alios de obedientia dicti Benedicti, quomodolibet procedi in iudicio uel extra, ut in fine dicti capituli quarti supra descripti continetur. Viso etiam quinto capitulo, quod incipit: Quinto, quod per dictum formandum capitulum & concilium &c. eadem sancta synodus approbat, laudat, confirmat, & meliori modo quo fieri potest, plenissime firmat, omnes & singulas dispensationes, gratias & concessionem factas per dominum Benedictum praedictum quibusuis personis suae obedientiae de quibusuis dignitatibus, ut in dicto quinto capitulo continetur, usque in diem primae requisitionis factae eidem domino Benedicto per reges & principes suae obedientiae, ut in ipso capitulo continetur. Viso etiam undecimo capitulo, quod incipit: Undecimo, quod dictus dominus rex &c. Et attento quod dicitur in dicto undecimo capitulo ibi, Et q; in prima sessione dictae sanctae synodus &c. facit, concedit, statuit, & ordinat in omnibus & per omnia, prout in dicto undecimo capitulo continetur.

Omnia praemissa tam praelati caeteriq; notabiles uiri sessioni interessentes, quam oratores saepefati expresse iurauerunt. Iuramenta autem praedicta nomine concilii & aliorum quorum intererat, de ipsius concilii mandato requisierunt & receperunt reuerendi patres domini Iacobus Rodiniensis parte dextra, in qua sedent episcopi & presbyteri cardinales, & Thomas Poltenensis sanctae sedis apostolicae protonotarius a parte sinistra, in qua sedent diaconi cardinales & caeteri.

Quibus praestitis, praefatus dominus Mediolanensis legit schedulam tenoris sequentis. Et praedicta omnia & singula intelligantur, & locum habeant semper attento tenore omnium & singulorum capitulorum Narbonae concordatorum, quibus & eorum quilibet dicta sancta synodus stare intendit, nec ab eis uel eorum aliquo in toto uel in parte recedere. Ad quam ex parte nationum & dominorum cardinalium fuit responsum, placet. Deinde dominus Antonius Taxal legit quandam schedulam tenoris subsequens.

¶ **S**chedula acceptationis, per ambasiatores regis Aragonum lecta.

Nos Iohannes Raimundus Floch comes Cardonae, frater Antonius Taxal sacrae palatinae magister, generalis ordinis beatae Mariae de mercede, Raimundus Zammar miles, Sperans in deo Cardonae iuris peritus, Gundisalvus Garstis de sancta Maria de cretorum, & Michael de Nauers utriusque iuris doctores, oratores, procuratores, ambasiatores & consiliarij illustrissimi principis & domini nostri Alphonsi regis Aragonum &c. Dictis nominibus & quolibet ipsorum nominum, omnibusq; aliis melloribus modo, uia, iure, forma, causa & nominibus quibus ualidius & efficacius possumus & ualemus, omnia & singula decreta, statuta & protestationes, necnon conuentiones ac pacta per sacrosanctam generalem synodum Constantiensem nobiscum dictis nominibus facta & edita, & quae nunc sunt seriosius lecta, ipsa habentes